

Nicolaus Schütze

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Nicolaus Schütze/ I.U.D. & Codicis Professor, Ad Exequias Quas ... Dn. Theodoro Dethmaro Osnabrugensi Westphalo I.U. dum viveret Candidato dignissimo. Propinqui & populares Westphali hodie hora prima in templo Jacobaeo paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos sedulo invitat

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777440725>


Druck Freier  Zugang




Schütze, N.,
in
Th. Dethmar.

Rost. 1640.

39.





PROGRAMMA 51.

QUO
RECTOR

Universitatis Rostochiensis

NICOLAUS Schütze /



PH. D. & Codicis Professor,

AD

EXEQUIAS

QUAS

EXIMIO ET EGREGIE DOCTO

DN. THEODORO
DETHMARO

Osnabrugensi Westphalo J. U. dum
viveret Candidato dignissimo.

Propinqui & populares Westphali
hodiè hora prima in templo Jacobæ
paratas cupiunt,

*Omnes omnium ordinum Cives Acade-
micos sedulò invitât,*



ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO MDC XL.



VT horti cultor sedulus,
cum videt arbusculas manu sua
constitas, latis incrementis ado-
lescere & copiosam spem fru-
ctus ostendere, summis lætitijs incedit ac sibi
de labore & industria gratulatur; ita paren-
tes & præceptores ingeniorum animorumque
cultores, cum vident juvenes, cura sua edu-
ctos magnis gradibus ad illa edita doctrina
sapientum templa serena contendere, & jam
tempori ad fructus laboris edendos ac perci-
piendos idoneo vicinos esse, non minorem
ex ea spe lætitiã percipiunt, ac de cætero
omnia sibi læta ac felicia pollicentur, Ex ad-
verso autem, si vel tempestas flores decusserit,
vel frigus ramusculos adusserit, vel alia cala-
mitas spem anni interceperit, adeoq; ipsæ ar-
bores emoriantur & omnis cura cul-
torum laborq; pereat, quid aliud, quam de
spe vana & irrita questus ac dolor miseris re-
linquitur? Hanc hortulani fortunam expe-
riuntur, qui Eruditissimum & Præstantissi-
mum

mum Virum-Juvenem THEODORUM
DETHMARUM Osnabrugensem West-
phalum LL. Candidatum, in Musarum, præci-
puè verò Juris utriusq; cultu foverunt & ex-
coluerunt. Is enim, instar arboris jam fructum
copiosum promittentis, sed vel ab imbricito-
re Aquilone, vel grandine vel rubigine de
cælo tactæ & radicitus emortuæ, jam in eo
erat, ut matris viduæ & præceptorum exspe-
ctationi responderet, ac ingenij cultissimi fru-
ctibus copiosis eos bearet: cum præter omnem
expectationem ægritudine corripitur, æger
in lectum conjicitur, in ætate jam virili &
optimæ spei plena, è medio removetur.
Quantum doloris argumentum, quantam
lugendi materiam viduæ matri, propinquis &
popularibus reliquerit, vitæ actæ series indi-
cabit. Natus est Osnaburgæ THEODORUS
DETHMAREUS Westphalus Anno cl. lxx X.
Mense Martio, patre ANDREA DETHMA-
RO Cive Osnaburgensi primario, postmodum
Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini
Dn. FRIDERICI UDALRICI Ducis
Brunsvicensis & Lunæburgensis in arce Blo-
menow præfecto, Matre ANNA COC-
CHES, fæmina pietatis & virtutis cultu or-
natissi-

natissima, Avus paternus ipsi fuit, admodum
Reverendus Vir M. ANDREAS DETHMA-
RUS, Ecclesiarum Evangelicarum Osnabur-
gensium ad annos XL. Superintendens vigi-
lantissimus & bene meritus, Avia paterna
AGNES PISTORIS Reverendi Viri
Dn. M. JOHANNIS PISTORIS, qui
fuit quondam Ecclesiastes Civitatis Brunsvi-
censis, filia, Avus maternus GEORGIUS
zur Mühlen/ Reverendissimi FRANCISCI
Comitis de Waldeck, confirmati Episcopi
Monasteriensis & Episcopatus Osnaburgensis
& Mindensis Administratoris, in arce Kloppen-
burg & Delmenhorst/ quæstor, Avia materna
RIXA von Basten Viri Nobilis & Strenui
OTHONIS von Basten Satrapæ in Bichte
& ANNÆ Kannengiessers Filia. Ex his
prædictis parentibus cum esset hanc in lucem
editus & eorundem pia cura lavacro regene-
rationis tinctus, non minori sollicitudine
commendatus est bonis præceptoribus pri-
mum in schola patria Osnaburgensi, ex qua
ad scholam Brunsvicensem, deinde Hannove-
ranam ablegatus est. In quibus cum fun-
damenta artium & linguarum mediocriter
inbibisset, ad Academiam Juliam, quæ est
Helm-

Helmsteti, parentum consilio abiit, in qua
per biennium substitit & Juridico studio ope-
ram impendit, cum ad ejus culturam naturali
quodam impulsu se duci sentiret, adeo ut à
primis exorsus ad solidam ejus scientiam in-
offenso gradu præcederet. Ex Julia Academia
in hanc nostram venit, ubi postquam annuo
pene spacio amplioribus Legum præceptis se-
dulo invigilasset, factum est, ut à Magnifico &
Nobilissimo Viro Dn. THEODORO Reins-
king quondam Illustrissimi Principis ac Domini
Dn. ADOLPHI FRIDERICI Ducis
Megapolitani &c. Domini nostri Clemen-
tissimi, nunc verò Reverendissimi Archi-
episcopi Bremensis & Episcopi Vordenis
Cancellario, Sverinum accersitus, liberis ejus-
dem doctrinæ morumq; formator præficere-
tur. Qua provincia istam fidem ac diligentiam
prodidit, cujus nomine cum filio natu maxi-
mo Rostochium ad hanc nostram Universi-
tatem prosperis auspicijs ablegaretur. Cumq;
exacto fere biennio discipulum ad lares patri-
os revocatum Dn. parenti sospitem ac sal-
vum stitisset, ipse redux factus ita se gessit in
hac Academia per integrum quadriennium, ut
laudes strenui Legum Cultoris non immerito
referret. Docuerunt id ipsum Juris exercitia

opponendo respondendoque tam publicis
quam privatis collegijs cum laude edita,
Quibus accesserunt tres Disputationes, quas
proprio Marte conscriptas in publicum exhibuit,
ita ut perspecta hac alacritate apud Dn. Professores
id juris meruerit, ut Facultatem docendi
modestè petitam facilè impetraret. Cujus
vigore duo Collegia intimavit, unum Institutionum
lectorium, alterum Disputatorium. In illis
quantum frugis præstiterit, Disputationes ostendunt,
quæ permissu & auctoritate Facultatis
Juridicæ publicis typis divulgatæ prostant.
Qua ratione spem suggessit omnibus, fore
ut ex ejus laudabili conatu haberet aliquando
Respubl. quod gaudere suo commodo posset.
Sub finem Julij Mensis proximi in patriam
abiit, ut matrem senio confectam & valetudinariam
viseret; Unde cum ante septimanas tres
reversus esset ac studijs, quæ ante discessum
gnaviter culta in reditum distulerat, porro
tractandis jam totus immineret, octavo
hujus Mensis die peripneumonia laborare cepit,
quæ vires ita sumpsit, ut Medici experientissimi
curam planè respueret, ac defuncto nostro
postquam sacro viatico pridie instructus esset,
decimo quinto hujus Mensis die, inter tertiam
& quartam matutinam, astanti,

stantibus amicis & popularibus finem vitæ
beatum & placidum adferret. Qui casus
adeò insperatus matri viduæ & jam undecim
liberis orbata, ac defuncti nostri avunculo
Amplissimo & Consultissimo Viro Dn. CA-
SPARO COCCÆO J. U. Lic. & Consili-
ario Megapolitano, qui ipsum filij loco ada-
mavit & studia ejus promovit, cæterisq; co-
gnatis, quantum dolorem sit allaturus, facile
cogitando assequetur, qui vim indolis eximia-
am, quæ fuit in puero, studium pietatis, virtu-
tis & eruditionis, quod fuit in adolescente,
progressum quem fecit in Juris & Legum co-
gnitione atq; exercitijs, magnitudinem spei
propinquæ, quam parenti senio confectæ ac
tot liberis orbata nuper discedens, quam Dn.
avunculo, quam cæteris propinquis & cogna-
tis, quam popularibus reliquit, rectè perpen-
det. Sed voluntas DEI providentis ac diri-
gentis omnia sapientissimè, in cujus manu ac
potestate est longitudo ac numerus dierum
nostrorum, qui hunc Juvenem tam eximium,
è coetu nostro sublatum ad se transtulit, reli-
ctis alijs otiosis & odiosis terræ ponderibus,
fruges tantum consumere natis, erit nobis in-
star causæ, non fallentis, & consolationis mi-
nimè

nimè deficientis. Vos, Juvenes Academici,
ætatem vestram videte, annos vestros nume-
rate, vires perpendite, & cogitate, quicquid in
vobis robustum est, in illo fuisse; quicquid
formosum, evanuisse, solam pietatem, & virtu-
tis in vita studium ei immortalitatem adtulif-
se; Cujus desiderio si & vos adfecti estis, esse
omniò debetis, agite ad hujus commilitonis
imò jam antesignani vestri exsequias adeste
frequentes, ac frequentia vestra testamini, vos
id, quod in vivente suspexistis & amastis,
etiam in defuncto sequi paratos esse. Cete-
ros quoq; omnes auctoritatem nostram agno-
scentes confidimus facturos quod officij


Christiani ab illis postulat ratio & huma-
nitatis usus. P. P. Rostochij


sub sigillo Rectoratus. Anno

clō lcc xl. die 18, No-
vembri.

Conventus fiet in æde Mariana
ad horam primam.









Helmsteti, parentum con-
per biennium substitit & J-
ram impendit, cum ad ejus
quodam impulsu se duci
primis exorsus ad solidam
offenso gradu præcederet.
in hanc nostram venit, ubi
pene spacio amplioribus Le-
dulo invigilasset, factum est
Nobilissimo Viro Dn. TH
fing quondam Illustrissimi F
Dn. ADOLPHI FRII
Megapolitani &c. Domin
tissimi, nunc vero Reve
episcopi Bremensis & Ep
Cancellario, Sverinum acce
dem doctrinæ morumq; fo
tur. Qua provincia istam fid
prodidit, cujus nomine cur
mo Rostochium ad hanc
tatem prosperis auspicijs ab
exacto fere biennio discipul
os revocatum Dn. parenti
vum stitisset, ipse redux fac
hac Academia per integrum
laudes strenui Legum Cultor
referret. Docuerunt id ips

G 3

in qua
dio ope-
naturali
ideò ut à
tiam in-
cademia
n annuo
eptis se-
nifico &
O Reins
Domini
I Ducis
Clemen-
Archi-
ordenis
ris ejus-
rificere-
gentiam
u maxi-
niversi-
Cumq;
es patri-
ac sal-
essit in-
nium, ut
merito
exercitia
oppo-

